

D. MELCHIORIS  
DE VALENTIA

J. C. HISPANI,

PRIMARII JURIS CIVILIS IN SALMANTICENSI

Academia Antecessoris; Potentissimo Regi Hispan.

à Consiliis, & in Granatensi Prætorio Senatoris;

ILLUSTRUM JURIS

TRACTATUM

LIBRI TRES;

EDITIO RECENTISSIMA cui accessit TRACTATUS NOVUS

de Forma Emendandi Doli Mali in Contractibus.

UNIVERSI OPERIS INTERPRETES FREQUENTES PATRIBUS INDICANT.



*Et libris D. Joanni*



COLONIAE ALLOBROGUM.

Sumptibus FRATRUM DE TOURNES.

D. MELCHIOR M. DCC. XXX



D. MELCHIOR

# DE VALENTIA LECTORI S.



Ec operis commendationem, nec excusationem facti, quæ duobus his Epistolis præmitti solent, à nobis, Studiose Lector, speres. Arrogantiæ alterum, dissimulationis, aut ironiæ alterum, si non crimen, saltem non levem notam meritò æstimare possis. Nec enim minori reprehensione digna Socratis fallax humilitas,

qui vel ab omnibus nota ignorare se fingebat, quam Hippiaæ Elei aperta superbia; Qui cum Olympiam venisset (M. Tullij verbis dico) maxima illa quinquennali celebritate ludorum, g'oriatus est, cuncta p'æne audiente Græcia, nihil esse in 3. de  
ulla art: rerum omnium, quod ipse nesciret. Veritatis igitur, & modestiæ, quam Oratio-  
semper tenui, viam pergere certus, quod res ipsa est, planè dicam. Ex artibus ne.  
iis, quæ ingenuum hominem decent optimis, & pulcherrimis me, ut Prodicus Apud  
dicebat, otium & inertiam, uti fas est perosus, exornare cum jam pridem insti- P' ato-  
tuisssem: Jurisprudentiam scientiarum omnium (sacram Theologiam excipio) nem in  
præstantissimam, cui me totum dederim, dilexi, & delegi. Hæc divinarum, Gorgia.  
humanarumque rerum notitia, justii & injusti scientia, Regia, & Architecto-  
nica hominum justo imperio regendorum ars; illa est quam primus unicusque  
mundi conditor optimus, & rector sapientissimus, sibi propriam vindicat: Justii  
enim & injusti scientia, & consummatissima ars boni & æqui, soli Deo compe-  
tit, qui juris & justitiæ parens, & compos, ac magister primarius docet homines  
scientiam; singularissimè autem juris, legumque prudentiam, quâ se ipsos, & sibi  
subditos regant, ex qua ipse Aristotechnas, id est, præclarissima artis artifex ma-  
ximus, à Pindaro audit & salatur:

*Dodonæ, omnipotens Aristotechna pater.*

Plutarchus hanc Dei artem Jurisprudentiam interpretatur, libello qua rationem reddit, cur sero tandem Deus à fontibus pœnas sumere videatur, Medicinam inquit, artem, (qua & *μαρτυρία* & *justitia* cognominatur,) omnium esse artium maximam, ac præstantissimam: præter sexcentos alios, etiam Pindarus testatur, principem, & dominum omnium Deum Aristotechnam appellens, quasi juris publicus magister, & professor Deus sit. Justissimosque, & sapientissimos ex regibus discipulos habuisse

Apud  
Dionem  
Chrys.  
orat. 11.  
ad finem.



# LIBER PRIMUS

## TRACTATUS I.

# DE JURE ACCRESCENDI INTER HÆREDES,

& quibus casibus portio deficiens cum onere accrescat,  
& de contributione Legatorum.

*Ad explicationem difficilis Papiniani responsi lib. 29. qq. in l. in ratione  
II. §. quod vulgo, & sequentibus, D. ad L. Falcid.*

**I**NTER Illustres Juris Tractatus, quos explicare institui, merito primum sibi locum vendicat contributionum materia ( à Papiniano Jurisconsultorum subtilissimo plurimis in locis, sed præcipue in *l. in ratione II. §. quod vulgo, D. ad L. Falcid.* tractata) tum propter Digesto um ordinem, cum ceteræ leges quas hic liber continet in *Digesto novo* sint collocata; tum propter summam difficultatem, & subtilitatem cum utilitate conjunctam. *Quædam enim, ut Senec. lib. 6. de Benef. cap. 1. scribit, excrescendi tantum in genii causa quaruntur, & semper extra viam jacent; quadam & dum quaruntur oblectamento sunt. & quasita usui; inter quas quæstionem quam aggredimur jure possis connumerare.*

## C A P. I.

*De jure accrescendi inter hæredes,  
& illius causa & origine.*

**S**I plures testator scripserit hæredes, & quidam ex illis non adierint hæreditatem, deficientes eorum portiones, ceteris invitis & ignorantibus tacito jure accrescere; atque ita in hæreditatibus ius accrescendi etiam inter invitos locum habere constat ex *l. si quis hæres 35. l. cum hæres 31. §. qui ex parte l. qui ex duobus, 53 §. ult. l. qui patri 39. l. ser. us communis 67. D. de acquir. hered. l. 3 §. ult. de honor. p. test. l. testamento 6. C. de impub. l. quidam elegi 10. C. de jur. delib. l. unica, §. his ita defunctis, ve s. in his, C. de caduc. toll. Quod equidem accrescendi jus ratio ipsa vult, & necessitas induxit, ut interpretum tam antiquorum quam recentiorum recepta sententia est. Bart. i.*

D. MELCHIORIS  
DE VALENTIA  
JURISCONSULTI  
HISPANI  
EPISTOLICÆ JURIS  
EXERCITATIONES,

SIVE

EPISTOLÆ

AD D. ANTONIVM FABRVM I. C. SEBVSIANVM

*¶ in supremo Sabaudia senatu Præsidentem primarium.*

Cum ejusdem D. ANTON. FABRI Responsis.



ILLUSTRISS. ET DOCTISS. VIRO  
D. ANTONIO FABRO,  
IN SUMMO SABAUDIÆ

Senatu primario Præsidi dignissimo,  
Jurisprudentiæ Principi.

MELCHIOR DE VALENTIA

S. P. D.

**A**GNOSCO equidem, Vir doctissime, quidquid in juris scientia profecerim, tuis scriptis deberi: quod cum ita sit, beneficiorum lex postulabat, ut jam antea debitorem me tibi literarum obligatione profiterer: & fecissem.

*Pindar. Impellit autem gratia  
Panh. Ode. pro benevolis factis remuneratrix,  
2. subsequens.*

ni tuo nominis reverentia intra modestiæ limites retinuisset. Verebar enim ne te publica negotia, cum magna Sabaudicæ utilitate sagagentem, vel ab his vacantem, communi tamen rotius Europæ commodo, Jurisprudentiam in pristinum nitorem restituentem interpellari, audacia ac præneremericas videretur: & tutissimum munus silentij reputabam. Sed cum ut ait Pindar.

*Pindar. Virtutes vero laborum expertes  
Olympe. neque apud viros, nec in navibus cavis  
Ode. 6. pretiosa.*


Audaciæ periculum, cum gloria subire potius volui, quam silentij inertem securitatem amplecti; Præferim cum tua in studiosos humanitas benignitasque hoc me periculo liberent, & ne diutius dubitem te per litteras alloqui efficiant: quas tibi gratas fore confido, si ingenio mei, & maximi erga te, tuarumque scripta studij, in-

dicium aliquod faciant, Accidit autem, ut dum his diebus tuas Decadas cum cura versarem, quædam offenderim, quæ me tua semper vestigia libenti animo sectantem retardarint. Quibus offendiculis amovendis, tuam opem invocare decrevi.

EXERCIT. I.

*Sententia Antonij Fabri de origine juris accrescendi in dubium vocata ex Ne ratiij Responso in l. qui patri § 9. D. de acquirenda her.*

**I**N decadis 49. errore 1. doces, ideo hæreditatem non posse pro parte adiri, pro parte vero repudiari, & consequenter ea ratione hæredem qui partem suam adit, deficientes portiones etiam invitum suscepturum; quia hæreditas, quæ in defuncti locum succedit, & ejus personam repræsentat, individua est: & hæres, qui in hac parte juris eodem modo se habet, hac



D. FRANCISCI RAMOS  
DEL MANZANO, I. C.

ET IN SALMANTICENSI ACADEMIA PERPETUÆ  
Vespertinæ Juris Civilis Cathedræ Antecessoris,  
de Auctore Scriptoque judicium.



U S S U K L. & R. D. D. Martini de Bonilla, Primarij Pontificij  
Academia Primaria Antecessoris, & in Salmant. Cathedrali Eccle-  
sia Canonici Doctoralis, ejusdemque Diœcesis, Sede Capituli vacan-  
te, Vicarij Generalis, Tertium hunc illustrium juris Tractatum Li-  
brum (utinam nec postremum, nec desinensium) D. D. D. MEL-  
CHIORIS DE VALENTIA, Primarij Antecessoris, Senatoris Regij,  
Præceptoris nostri, vidi, & ut in prisca Senatoria formula, D. E. R. I. C. scrip-  
tum hoc est, quale vel Academia Principis, Doctorisque inter magnos maximi, potuit  
præjudicatus expectatione genius concipere, vel matura ipsiusque eruditio, tantum-  
que non emerita debuit, post Pontificium literati honoris, edere, Academiam, dico Sym- mach. lib. 3. ep. 17.  
Salmanticam, Provinciæ nostræ magistram venerabilem, Christiani orbis, Apulci. 4. Florid. dot. Plin lib. 14. nat. hist. c. 1.  
cœlestem, Camænamque, ut sic dicam, Togatorum, Doctorem verò hunc nostrum,  
lectissimi ingenij, rectissimi judicij, compertissima eruditione, quorum vel in dicen-  
do, & professorij muneris exercitamentis Horar. in attic. Poët. spectatum partumque decus, vel in scri-  
bendo publicis perennantisque fama manumens prolatum, vel denique in pacata  
ista militia per omnes stipendiorum gradus, & ordines ab imo ab summum pilum  
lentalque, ut ille ait, aquilas, hoc est, Primarij Antecessoris, Regijque Senatoris  
apicem, illustratum, quid nisi magnum ac non unius orbis aut sæculi admiratione  
dignum spondeat? Sane autem, serio restor, vel tanto promissionis hiatu, dignis-  
simi illustres hi Tractatus, per quos licebit jam juvenuti sacris jurisprudentia ini-  
ziata, non claustra modo, aut limina, sed penetralia summa recludere, ipsaque ut ita  
dicam adytæ civilis sapientia, cujus penetralia nuper nos per his Protomythes  
ex Academico suggestu, tanquam ex Phœbi Tripode aut Corymba pandebat. Eadem  
nunc oracula his paginis, seu Sybillinis foliis, amandat, non tamén devia, aut irri-  
ta, Sicuti Delius aliquis,  
Jurisque peritus Appollo 5

D. MELCHIORIS  
DE VALENTIA  
JURISCONSULTI  
HISPANI,

ANTEA PRIMARIJ JURIS CIVILIS  
in Salmanticensi Academia Antecessoris, nunc Po-  
tentissimo Hispaniarum Regi à Consiliis,  
& in Granatensi Prætorio Senatoris,

ILLUSTRIUM JURIS  
TRACTATUUM,

SEU

LECTURARUM SALMANTICENSIVM

LIBER TERTIVS,

ET VLTIVMVS.

D. FRAN

DE  
FORMA EMENDANDI  
DOLI MALI,  
IN CONTRAHENDIS  
NEGOTIIS ADMISSI,  
APUD VETERES,  
LIBER.

*In quo præter capitalem materiam, allegantur ac illustrantur alii multi loci Juridici, Auctoresque varii.*





D E

FORMA EMENDANDI  
DOLI MALI  
IN CONTRAHENDIS  
NEGOTIIS ADMISSI,  
APUD VETERES.

LIBER.

CAPUT I.

*Dolus quid, & unde Donato? Eum dolum Veteribus esse bonum vel malum. De dolo bono Ulpiani sententia.*



BS re non erit, in limine operis quod est de forma castigandi doli mali, in contrahendo admissi, pauca præmittere, quid Veteres doli mali appellatione significent: esse autem dolum à lædendo dictum, id est, à dolando, id est, minuendo, Donatus auctor est, ad Terentii Eunu-  
cum, act. 3. sc. 3. vers. 9. præfatus, quod & Græcè læsio dicitur: & dolores, tela quædam bellica: & dolare fabri, lignum est scia cædere

Sed non sufficit scire quid sit dolus, nisi in-

telligamus, quis sit malus: quia dolus est ex mediis verbis, ut venenum, tempestas, valetudo, & alia, quæ capere possint duas inter se res contrarias. Illi rei testimonium dicit A. Gellius, Noct. Attic. lib. 12. c. 9. Ulpianus quoque l. 1. §. 3. D. de dolo malo observat in Edicto de dolo malo, non contentum fuisse Prætores, dolum dicere, sed adjecisse malum: & canitur, Veteres dolum etiam bonum dixisse, & pro solertia hoc nomen accepisse. Ac ne quis requiret ejus exemplum doli: esse, inquit, si adversus hostem latronemve machinetur. Recte: si his vim intendant, tamquam hostibus aut latronibus: quæ enim veritas debetur eis, qui rampentes humanæ societatis, humano jure pro nullis habentur? Hac ratione occidere eos licet: quid ni fallere licebit? Non ita est, si cum his agatur de restituendo humani juris commercio. Quæ enim ratio suadet, cum eis, tamquam hominibus, conveniri de integranda societate; ea ratio vult, eis, tamquam hominibus, præstari veritatem: sine qua non sit eis de suo commo judicandi disponendique libertas communi hominum jure. Habes exem-  
plum

plum unum doli boni, quod est Ulpiani *d. §. 3. l. 1.* sed ne solum sit, addam alterum ex *§. 2. ejusdem loci.* Id exemplum est in his qui deser-  
viant, & tuentur vel sua vel aliena: hoc est, qui dissimulant; non ut communi officiant con-  
junctioni; sed ut ei serio profint, servare enim  
est prodesse: vocula *de* augente verbi signifi-  
cationem; perinde ut in *depositis* notat Ulpianus  
*l. 1. D. Depositi vel contra.* finge, quatuor per  
insaniam aut morbum ire se perditum: hunc  
veri dissimulatione deludi; ne pereat ideo,  
quod sua non intelligat bona, est dolus: sed  
communi approbatur sensu: non enim sinat  
ratio, ne homo perdat hominem quem potest  
servare: ut non æquè velit, ne homo homini  
præstet veritatem qua cum perditurus sit: sane,  
ut ille apud Terentium, *Andria, act. 2. sc. 2.*  
*vers. 115.*

*Si illum objurges, vita qui auxilium tulit:  
Quid facias illi qui dederit damnum aut ma-  
lum?*

Nullum igitur vitium est jure humanæ con-  
junctionis, (cui non minus veritatem, quam  
ceteras virtutes, servare æquum est) veri dis-  
simulatione servare hominem, qui absque ea  
foret, vero periturus esset. Idem dicam, si  
quis dissimulatione se vel alium tuctur adver-  
sus aliquem, qui non moveretur legibus ratio-  
nis: impediente furore, ira, aut ebrietate:  
ut enim hunc fallat dissimulatione: quam ta-  
men injuriam facit ei cui non debet verita-  
tem communi adversam utilitati? facit igitur  
dissimulatio etiam hinc dolum bonum: id  
est, à societate humanæ conjunctionis quam  
omnes qui se bonos justosque dici volunt, si-  
ne exceptione jurare oportet, minimè alien-  
nam. Dixi de dolo bono, quantum sufficit  
Ulpiano.

## C A P. II.

*De doli mali definitione & : an ali-  
qua Veterum circa eam fuerit dis-  
sensio, Ulpiano lux in l. 1. §. 2. D.  
de dolo malo.*

**D**oli mali prolixior erit inspectio: variâ  
ejus definitione apud Veteres. Gallus e-  
nim Aquilius apud Ciceronem, *De Officiis*  
*lib. 3.* ait, Dolum malum esse, cum aliud agi-  
tur, aliud simulatur: eaque definitione uti-  
tur Julius Paulus, *lib. 2. Sentent. tit. 16.* At

Galli auditor Servius Sulpicius *l. 1. §. 2. D. de  
dolo malo*, verbis paulò pluribus ait, Dolum  
malum esse machinationem quandam alterius  
decipiendi causâ, cum aliud simulatur, & aliud  
agitur. Nec aliter Ulpianus *l. 7. §. 9. D. de  
pactis*; cum, Dolus, inquit, malus sit calli-  
ditate & fallacia: & ut ait Pedius, dolo malo  
pactum fit, quoties circumferendi alterius cau-  
sâ aliud agitur, & aliud agi simulatur. Idem  
tamen, quod mireris, Ulpianus *d. l. 1. §. 2.*  
sic scribit. Dolum malum Servius quidem ita  
definit, machinationem in quandam alterius deci-  
piendi causâ, cum aliud simulatur & aliud agi-  
tur: Labeo autem posse & sine simulatione id  
agi, ut quis circumveniatur: posse & sine dolo  
malo aliud agi, & aliud simulari: sicuti faci-  
ant qui per ejusmodi dissimulationem deservi-  
unt & tuentur vel sua vel aliena. Inque ipse  
sic definit, dolum malum esse omnem callidita-  
tem, fallaciam, machinationem ad circumve-  
niendum, fallendum, decipiendum alterum ad-  
hibitam. Labeonis definitio vera est. Non fue-  
re igitur Veteres in definiendo dolo malo semper  
eadem usi loquendi formula.

Nec tamen mea me fallit opinio, fuisse  
unam non modo Galli Aquilii & Servii Sul-  
picii, sed Labeonis quoque & Ulpiani, de  
dolo malo sententiam. Argumentum mihi,  
quod Cicero qui utrique, cum Aquilio, tum  
Servio, familiaris fuit, complura de doli ma-  
li definitione differuit: sed non meminit no-  
væ Servianæ: tantum sequitur Aquilianam;  
eamque ab homine definiendi perito factam  
attestatur *d. lib. 3.* Ne Labeo quidem *d. l. 1.  
§. 2.* à Servii definitione recedit; minusque  
eam erroris convincit: etsi dubitationem quam  
in ea facere videbatur exempli demonstratio,  
plurium adjectione illustret: scilicet animad-  
vertebat Labeo, si Serviana definitio ad defi-  
niendi leges rationesque exigeretur; facile  
duo fore quæ in ea reprehendi possent: unum,  
quod sine simulatione potest agi, ut quis cir-  
cumveniatur: alterum, quod sine dolo malo  
aliud agi, aliud simulari, potest prioris exem-  
plum Labeo nullum adfert, ceterum allu-  
dit ad verbum *simulare*, quod & Galli & Ser-  
vii definitione continetur: id verò verbum  
distinguitur à *dissimulare* quod à Gallo aut  
Servio doli mali definitioni non est insertum.  
*simulamus enim falsa; vera dissimulamus:* juxta  
triturum, *Quod non est, simulo, dissimuloque quod  
est, ut Nonius refert pag. 731.* Potest igitur dolus  
malus fieri sine simulatione: sed sine simula-  
tione & dissimulatione fieri non potest: hinc  
prior Labeonis observatio: posterioris exem-  
plum